

cinatione fidem infestantes. Hi virilibus animis periculosi magis sunt, quam mulierculis æstu cupiditatis agitatis.

**§. XXIII.** Cæterum ubi similes habent labra earum luctucas, vel, ut distinctius loquitur *Samuel Przypcovius*, ubi eæ Doctores ex ejusmodi impostoribus naætæ sunt, qui vitia ipsarum rimati, ipsis ejusmodi remedia adhibent, quæ illarum delectationem non tollant, impunitatem autem promittant, sponte se, inquit, in eorum disciplinam, imo in obsequium & plane servitutem tanquam captivæ tradunt vel prætextu, vel spe aliqua discendi meliora. Qua vero turpiter eos falli effectus docet seductionis hujus v. 7. monstratus, cum discere eas semper, nunquam vero ad scientiam veritatis pervenire Apostolus addat. Id quod exinde evenire sæpe laudatus existimat *Baldwinus*, quod, licet cupide sint rerum novarum, judicium tamen eas probandi non habent, partim propter infirmitatem sexus, partim propter vitiorum cumulum, quo intellec-tus ipsorum obtenebratur.

**§. XXIV.** Nec etiam ideo sub Doctoribus istis fœmellas seductas proficere quicquam posse *Przypcovius* credit, quia Doctores ipsi veritatis expertes, non vitiorum extirpationem, sed reluctantis tantummodo conscientiæ placationem, aut potius deceptionem moliuntur. Quæ sicut cum præced. v. 5. & dicto Christi *Matth. XV, 14.* satis congruunt, ita & nobis facile probantur. Omnia vero adhuc dicta planiora fient, si quam familiare fuerit hæreticis sectas suas per mulieres propagare, ex historia sacra capite secundo constabit.

## CAPVT II.

### §. I.

**H**oc igitur divina suffulti gratia molimur & primo omnium nobis assentientem deprehendimus *Hieronymum*. Qui cum omnes hæreses per mulieres propagari cœpisse dixit, haud